

verunt tamen venialiter, et hoc fuit eis ex fragilitate humana. I Joann., 1, 8 : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, scilicet veniale, ipsi nos seducimus.* »]

Obj. 4° : Liberius subscripsit hæresi arianæ et damnationi S. Athanasii, eujus causa erat conjuncta cum causa fidei, quatenus erat illius strenuus propugnator, atque communicavit cum episcopis arianis. Ergo.

Resp. Nego ant. pro prima parte; sed subscripsit Liberius formulæ secundum se catholicæ, ut sat prolixè probavi in Digress. histor. ad dissert. præcæm. tract. *de Trinitate*, in Opere majori. Vide. — Ad secundam partem ant., subscripsit Liberius damnationi S. Athanasii, quia existimavit ejus causam esse a fidei causa sejunctam, et Athanasium fuisse damnatum ob delicta disciplinam et mores spectantia, de quibus fuerat revera accusatus. — Ad tertiam partem ant., Liberius communicavit cum episcopis semi-arianis, qui se damnasse Arium et esse catholicos simulabant.

Resp. 2°. *Dato* ant. quoad omnes suas partes, nemo somniabit Pontificem in exilium actum, minis perterrefactum, libertatis desiderio victum, subscribentem ore tenus formulæ arianæ et damnationi Athanasii, atque cum hæreticis communicantem, locutum fuisse ex cathedra, et ex plenitudine potestatis obligasse universam Ecclesiam subscribere Arianismo; quod solum tamen hic vertitur in questione.

Obj. 5° : Zozimus, Innocentii I successor, approbavit libellum Cœlestii Pelagiani, in quo aperte negabat peccatum originale. Ergo.

Resp. Dist. ant. Zozimus libellum Cœlestii in quo negabat peccatum originale approbavit ut catholicum, habita ratione propositionum et dogmatum quæ continebat, *nego*; habita ratione mentis, affectus et modi loquendi authoris, qui hunc suum errorem non absolute asserebat, sed ad modum dubitantis tantum proponebat, petens instrui, sensum suum judicio Sedis Apostolicæ submittens, paratus corrigere quidquid corrigendum

judicaret; insuper declarans se consentire litteris Innocentii damnantis Pelagium, et se omnia quæ Sedes Apostolica damnaret, damnaturum, *conc.* Nihil autem prohibet quominus liber sub tali consideratione, quæ pertinaciam ab autore excludit, possit dici catholicus. Solutio est Augustini, lib. II *contra duas Epist. Pelagian. ad Bonifac.*, cap. 3, n. 5.

Resp. 2°. *Dato* antecedente, nihil sequitur contra nos. Constat enim Zozimum approbantem privatim libellum Cœlestii et scribentem privatas litteras ad episcopos Africanos, universam Ecclesiam non fuisse allocutum, nec eam obligasse ad credendum fide divina non dari peccatum originale, sicque non fuisse locutum ex cathedra, sicut postea locutus est, quando, fraude detecta, Pelagium et Cœlestium solemnè decreto condemnavit, missa ad omnes totius orbis episcopos condemnationis epistola quæ communiter dicta est *Tractoria*.

Obj. 6° : Vigilius Papa modo probavit, modo improbavit tria Capitula, quæ pertinebant ad fidem; erant enim facta dogmatica. Ergo.

Resp. De causa trium Capitulorum et de Vigilio sat dixi art. 6 præcedentis dissert. Unica restat instantia contra id quod dixi, Vigilium nunquam probasse tria Capitula quantum ad sensum obvium textuum, sed tantum vefasse ne damnarentur appellatis nominibus authorum. Igitur

Inst. : Vigilius, in suo constituto, de Ibæ epistola dicit : « Ipsam rectissimo et piissimo sensu intellectam » irreprehensam manere. Ergo.

Resp. Vigilium non dixisse Ibæ « epistolam, » sed « fidem irreprehensam manere; » quia scilicet in concilio Chalcedonensi mentem suam aperuerat, et quæ in hac Epistola contra Cyrillum errore facti scripserat, retractaverat, ut dixi loco citato.

Obj. 7° : Honorius Papa fuit damnatus ut hæreticus taverat, ut dixi in sexta synodo œcumenica. Ergo.

Resp. 1^o. Dist. ant. Honorius fuit damnatus ut hæreticus sententia, *nego* ant.; ut hæreticus favore, id est, ut fautor hæreticorum, quatenus jussit taceri voces unius vel duplicis voluntatis et operationis in Christo, *conc.* Hanc responsionem multis et gravissimis momentis probavimus, et alia quæ spectant Honorium exposuimus in Digress. hist. ad dissert. IV tract. *de Incarnat.*, sect. 4, in majori Opere. Adeat lector; omnia enim hic repetere non vacat. Unam dumtaxat illic omisimus instantiam quæ tunc non occurrerat. Unde

Inst. Honorius, non solum vocem, sed etiam sensum duplicis operationis rejecit; nam in Epist. 2 ad Sergium, quæ lecta est in sexta synodo, act. 13, dicit: « Ubi autem operationis vel duarum esse vel fuisse mediatorem Dei et hominum Dominum Jesum Christum, sentire et promere satis ineptum est. » Ergo.

Resp. Dist. ant. Honorius rejecit absolute sensum duplicis operationis, *nego*; rejecit in ordine ad promendum, *conc.* Patet tum ex adjuncto vocabulo « sentire et promere; » tum ex tota serie utriusque ejus epistolæ ad Sergium, in quibus nihil aliud urget, quam ut taceantur voces unius vel geminæ voluntatis et operationis, ad sedandos tumultus et contentiones; tum quia non jussit Sophronium, qui duplicem operationem acriter defendebat, hunc sensum exuere, sed tantum ab eo missos monuit ne duarum operationum vocabulum deinceps usurpare niteretur, ut ipsemet refert in eadem Epist. 2 ad Sergium; tum denique quia, si ex his verbis sequitur Honorium rejecisse sensum duplicis operationis in Christo, sequitur pariter eum rejecisse sensum unius operationis, quia de utroque in his verbis loquitur, siquæ eum nec unam, nec duas operationes in Christo agnovisse, quod est plane absurdum.

Resp. 2^o ad objectionem. Dato Honorium damnatum fuisse ut hæreticum, fuit utique hæreticus ut homo privatus, non ut Pontifex loquens ex cathedra; errorem enim docuit, si docuit, non constitutione solemnī ad universam Ecclesiam directā, qua illam ad credendum

fide divina falsum dogma obligavit, sed ex privata sententia, per privatas litteras privato nomine scriptas et ad privatos directas. Quod patet, tum ex litterarum inscriptione, quæ est ad Sergium; tum quia non nisi annis ferme quadraginta post mortem Honorii ex archivio Constantinopolitano extractæ sunt, ante quod tempus vix erant cognitæ, sive in Oriente, sive in Occidente.

Inst. Honorius de fide consultus a tribus Patriarchis, scilicet a Sergio Constantinop., Cyro Alexandrino, utroque Monothelita, et Sophronio Hierosolymitano orthodoxo, respondens, docet errorem, eis mandat ut hunc doceant et ejus falsa dogmata toto Oriente vulgentur. Ergo locutus est ex cathedra. Ergo.

Resp. Omisso antecedente, *nego* conseq. Quæ enim adferuntur in antecedente, non sufficiunt ut Papa dicatur loqui ex cathedra; sed requiritur quod Ecclesiam universam alloquatur solemnī decreto quo jubeat omnes fideles fide divina credere quæ decernit. Hæc autem in casu Honorii non reperiuntur.

Obj. 8^o : Plures Pontifices se agnoverunt fallibiles, Leo IV, can. *Si incompetenter*, causa 2, q. 4; Innocentius III, serm. 2 de consec. Pontif.; Clemens VI, in diplomate dato 7 idus Decembris 1351; Gregorius XI, in testamento, et alii. Ergo.

Resp. hos Pontifices se agnovisse fallibiles in dispensationibus seu privilegiis concedendis, in factis particularibus, vel etiam in rebus fidei, sed ut doctores privatos, non autem ut pastores universalis Ecclesiæ loquentes ex cathedra. Neque obstat quod Gregorius XI dicat se potuisse errare etiam in Consistorio; non enim quæ in Consistorio aguntur semper ex cathedra definiuntur; sed in eis sæpe causarum merita expenduntur, consilia proponuntur, absque eo quod ad sententiam solemnem deveniantur.

ARTICULUS V

De præ eminentia summi Pontificis supra concilium generale.

Quæstio non est de concilio generali ut complectitur episcopos congregatos et simul summum Pontificem; sic enim certum est quod illi non sit superior Pontifex, alioquin sibi ipsi esset superior: imo concilium sic sumptum est quid majus, saltem extensive. Sed est quæstio de concilio generali ut solos complectitur episcopos congregatos, Pontifice, sive absit, sive adsit, non computato. Et quæritur utrum concilio sic sumpto Pontifex sit superior autoritate et jurisdictione, an concilium Pontifici.

Hanc secundam partem tuentur Galli¹, a tempore concilii Constantiensis, et est secunda propositio declarationis celebris Cleri Gallicani anni 1682. Cum autem urgentur argumentis ex Scriptura vel traditione, quibus probatur Romanum Pontificem esse supremum caput, rectorem, pastorem omnium fidelium: respondent, id intelligendum esse de omnibus fidelibus in particulari, seu seorsim et distributive sumptis, non vero collective sumptis et in concilio generali adunatis; quibus e contra sic sumptis Pontifex subjicitur, eo fere modo quo Generalis est caput et rector Ordinis, sic ut omnes Religiosi seorsim et distributive teneantur illi obedire, ipse tamen Capitulo congregato subjicitur et ad ejus leges adstringitur; vel sicut dux Venetorum singulis reipublicæ membris præeminet, ipse tamen toti reipublicæ est inferior et subditus.

Cæterarum nationum theologi communiter tenent, e contra, summum Pontificem esse autoritate, potestate et jurisdictione superiorem toti Ecclesiæ, sive divisim, sive collectim sumptæ, ita ut quodcumque concilium, etiam generale, ipsi subjiciatur, non ipse concilio.

1. Dicitur infra quo sensu hæc sententia Ecclesiæ Gallicanæ attribui potuerit.

Dico: Summus Pontifex est autoritate et jurisdictione omni concilio superior.

Prob. 1^o. Constat ex huc usque dictis de primatu S. Petri et Romani Pontificis, necnon de ejus infallibilitate, ipsum, secundum Scripturam et traditionem, esse totius et universalis Ecclesiæ caput, pastorem, patrem, doctorem et ducem. Atqui caput aliis membris, non solum seorsim, sed simul sumptis superius est; pastor, non singulis ovibus seorsim tantum, sed toti gregi præest et superior est; pater, non huic vel illi proli, sed toti familiæ; doctor, non huic vel illi discipulo, sed toti scholæ; dux, non huic et illi militi tantum, sed toti exercitui. Ergo pariter Pontifex, non solum singulis fidelibus seorsim, aut huic vel illi ecclesiæ; non solum singulis concilii episcopis divisim: sed ipsi concilio autoritate superior est.

Prob. 2^o. Summi Pontifices, jure summo et nemine reclamante, supremam potestatem exercuerunt supra concilia generalia; etenim quibusdam definiendi regulam præscripserunt, quorundam acta resciderunt, alia in integrum irritaverunt, alia probarunt et confirmarunt. Hæc autem sunt aperta superioris autoritatis indicia. Ergo.

Prob. prima pars ant. Cælestinus definiendi formam ipsamque sententiam contra Nestorium ferendam præscripsit concilio Ephesino; S. Leo concilio Chalcedonensi contra Eutychem; Agatho concilio VI contra Monothelitas; Adrianus I concilio VII contra Iconomachos, et Adrianus II concilio VIII contra Photium.

Prob. secunda pars ant. S. Leo canonem 28 quo jura patriarchæ Constantinopolitani decernebantur, quantumvis rogatus, confirmare constanter renuit et irritum misit.

Prob. tertia pars ant. S. Leo irritavit concilium Ephesinum II ex ejus assensu convocatum et cui aderant ejus legati. Ergo.

Quantum ad quartam partem antecedentis, de confirmatione conciliorum per Pontificem, eam probabimus

dissert. sequenti, dum de conciliis; nec eam omnino negant adversarii, sed dicunt esse confirmationem honorariam consensus et adhæisionis tantum, qualis dari potest ab æqualibus aut etiam inferioribus, non autem autoritativam.

Sed contra. Esse autoritativam constat, quia petitur et datur ut concilia generalia *firmitatem* habeant; sic enim loquuntur Patres concilii IV et VI, et sine hac confirmatione non est ratum nec firmum concilium, ut patet de concilio Ephesino II, de canone 28 concilii Chalcedonensis et de V concilio generali, Constantinop. II, atque jura ita expresse declarant, dist. 17, cap. *Regula*, ex Julio Papa: « Nec ullum ratum est aut erit unquam concilium, quod non fultum fuerit ejus (Ecclesiæ Romanæ) autoritate. » Et cap. *Multis*, ex Pelagio II. Unde Socrates, lib. II *Hist.*, cap. 5, ait: « Canon ecclesiasticus vetat ne decreta absque sententia Episcopi Romani ecclesiis sanciantur. » Sozomenus, lib. III, cap. 9, dicit « legem esse ad sacerdotii dignitatem spectantem, quæ pronuntiat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur. » Idem probant quæ modo dicemus de appellationibus a conciliis ad summum Pontificem, ac denique ipsa ratio. Non enim concilium generale habet firmitatem et indefectibilitatem in suis decretis, nisi quatenus representat Ecclesiam universam. Atqui non representat Ecclesiam universam, nisi caput seu Romanum Pontificem secum judicantem habeat, nec censetur Romanus Pontifex cum conciliis judicare, nisi dum conciliorum decreta confirmat. Ergo.

Prob. 3^a conclusio. Non est licitum appellare a summo Pontifice ad concilium generale; est autem licitum appellare a concilio generali ad summum Pontificem. Atqui appellatio non fit nisi ab inferiori ad superiorem. Ergo Pontifex est autoritate superior concilio generali.

Primam partem autoritate et ratione probavimus art. 3, § 6. Insuper Pius II, litteris Mantuæ in conventu Principum publicatis anno 1469, Julius II et Gregor. XIII, in bulla Cœnæ, prohibent sub pœna excommunicationis appellationem a Papa ad concilium.

Opponunt adversarii quasdam appellationes factas a Papa ad concilium. Sed facta non probatur jus. De hoc latius in solutione objectionum.

Secunda pars antecedentis probata etiam manet ex tribus Pontificibus Bonifacio I, Gelasio I et Nicolao I laudatis loco prius citato. Insuper probatur. S. Flavianus a secundo concilio Ephesino, convocazione et legatorum præsentia generali, appellavit ad S. Leonem, ut constat ex epistola ejusdem S. Leonis ad Theodosium Imperatorem, in qua dicit: Legatis nostris « libellum appellationis Flavianus episcopus dedit. » Pariter Theodoretus, episcopus Cyri, in eodem concilio damnatus, appellavit, ut constat ex actis concilii Chalcedonensis. Macarius et alii in sexta synodo œcumenica damnati appellaverunt ad Leonem II, ut patet ex litteris Constantini Pogonati ad eundem Leonem.

Id denique evincit ratio. Licitum est appellare a tribunali fallibili ad infallibile. Atqui summus Pontifex est infallibilis, saltem in quæstionibus fidei et morum, ut probatum est articulis præcedentibus. Concilium autem generale, prout hic sumimus, non computato summo Pontifice, est fallibile, quia sic non representat Ecclesiam, non est enim Ecclesia sine capite; non est autem concilium infallibile, nisi quatenus representat Ecclesiam.

Prob. 4^a conclusio. Summus Pontifex non potest judicari a concilio generali. Ergo non est illi inferior. — *Prob. ant.:* 1^o Can. *Si Papa*, dist. 40, dicitur: « Cunctos judicaturus ipse, a nemine esse judicandus, nisi deprehendatur a fide devius ¹. » 2^o Cap. *Aliorum*, causa 9, q. 3: « Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari, sed Sedis istius præsulis suo, sine quæstione, reservavit arbitrio. » Quod excludit concilium tam

1. Si vero « deprehendatur a fide devius, » scilicet, non ut Pontifex, sed ut privata persona, etiam in hoc casu a nemine est judicandus, sed, juxta eundem canonem, « pro ejus perpetuo statu universitas fidelium tanto instantius orat, quanto suam salutem, post Deum, ex illius incolumitate animadvertit propensius pendere, »

generale quam particulare. 3^o Concilium Romanum, sub Adriano II, cap. 4: « Romanum Pontificem de omnium ecclesiarum præsulibus iudicasse legimus, de eo vero quemquam iudicasse non legimus. »

Prob. 3^o conclusio ex avita Ecclesiae Gallicanae doctrina.

Circa annum 503, occasione Symmachi Papæ, quem, licet sponte annuentem, concilium Romanum vulgo *Palmare* in iudicium vocaverat, S. Avitus, Viennensis archiepiscopus, nomine Ecclesiae Gallicanae ad Urbis Senatores sic scribit: « Non facile datur intelligi qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior iudicaturus... Non est gregis Pastorem proprium terrere, sed iudicis. » Concilium autem generale est grex.

Anno 800, episcopi Gallicani, jussu Caroli Magni ad concilium Romanum vocati in causa Leonis III, de variis eriminibus ab æmulis accusati, parere renuerunt, nisi Pontifex ipse se illorum iudicio sponte submitteret, hac ratione quod, cum esset caput omnium ecclesiarum, a nemine posset iudicari. Apud Anastasium, in vita Leonis III.

Sæculo duodecimo, S. Yvo, Carnoti episcopus, epist. 159: « Quoniam, inquit, iudicia Romanæ Ecclesiae a nemine foris retractari posse, eadem Ecclesia Romana docente, didicimus, si qui aliquando se prægravatos illius Ecclesiae autoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Ægyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant, et inde expectent levamen, unde se conqueruntur accepisse gravamen. » Idem docet epist. 233, ad Abbatem Angeriocensem, in causa Paschalis II, qui dicebatur concessisse, contra Ecclesiae iura, investituras Henrico Imperatori.

Eodem sæculo, S. Bernardus, Ecclesiae Gallicanae decus, epist. 213, Pontifices alloquens: « Quis, inquit, mihi faciat justitiam de vobis?... Exstat quidem tribunal Christi; sed absit ut ad illud appellem... Itaque recurro ad eum cui in præsentî datum est iudicare de universis,

hoc est ad vos. Vos appello ad vos: vos iudicate inter me et vos. »

Anno 1305, cum regni proceres peterent a Clemente V ut damnaret memoriam Bonifacii VIII, quem dicebant hæreticum fuisse, ut hominem privatum, nec legitimum exstitisse Pontificem, ut vidimus art. 3, § 5, n. 4, addunt: « Cum de Bonifacii mortui hæresi quæritur, non debet congregari concilium generale. Estis enim vos, Pater sanctissime, Jesu Christi Vicarius, totum corpus Ecclesiae representans, qui claves regni celestis habetis. Nec congregatum totum concilium sine vobis et nisi per vos posset cognoscere de negotio supra dicto, juxta Patrum sanctita, sententiamque doctorum juris et Ecclesiae sanctæ Dei. » Cæcus sit qui in his verbis non videat potioem esse Pontificis autoritatem, quam concilii.

Anno 1324, theologi facultatis Parisiensis obtulerunt Clementi VII, Avenione sedenti, tractatum theologicum in quo agnoscunt, asserunt et probant ejus « supremam » autoritatem in Ecclesia, ut vidimus art. 3, § 5 citato, n. 3. Si vero « suprema, » ergo nulla major.

A tempore igitur dumtaxat concilii Constantiensis cœpit Ecclesia Gallicana ab hac avita majorum sententia recedere, agente et duce Joanne Gerson, academiae Parisiensis cancellario.

ARTICULUS VI

Solvuntur objectiones

Obj. 1^o et præcipue. Concilium Constantiense, sess. 4, sic decernit: « Hæc sancta synodus Constantiensis, generale concilium faciens, pro extirpatione præsentis schismatis et unione ac reformatione Ecclesiae Dei in capite et in membris facienda..., in Spiritu sancto legitime congregata..., ordinat, disponit, statuit, decernit et declarat ut sequitur. Et primo quod ipsa synodus in Spiritu sancto congregata, legitime generale concilium faciens et Eccle-

siam catholicam militantem repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis, existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis et reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite et in membris.» Et sess. 5, idem decretum repetit et addit: «Item declarat quod quicumque cujuscumque conditionis, status et dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis seu ordinationibus aut præceptis hujus sacræ synodi, et cujuscumque alterius concilii generalis legitime congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur et debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo.» Ergo.

Huic argumento, quod putant invincibile, triplex adhibetur *responsio*.

Prima et communior est, hæc decreta esse intelligenda, non de conciliis generalibus extra tempus schismatis et quando est certus Pontifex, sed tantum de conciliis tempore schismatis celebratis et de dubiis Pontificibus, quales tunc erant Joannes XXIII, Gregorius XII et Benedictus XIII. Quo in casu, cum nullus sit Papa, nam Papa dubius non est Papa, quia non est caput visibile Ecclesiæ, fate-mur concilium habere potestatem immediate a Christo, cui quilibet cujuscumque status aut dignitatis, etiamsi Papalis, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem et extirpationem schismatis, ac reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite et in membris.

Veritas hujus responsionis constat: 1º ex ipsis terminis decretorum. In decreto enim sessionis 4, et in prima parte decreti sessionis 5, sermo est tantum de hoc concilio Constantiensi pro extirpatione præsentis schismatis convocato. Equidem in secunda parte decreti sessionis 5 dicitur: «Et cujuscumque alterius concilii generalis legitime congregati;» sed dictum statim restringitur verbis sequentibus: «Super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis.» Quæ sunt autem «præmissa,» nisi

schisma extirpandum et dubii Pontifices deponendi? quod vera et propria causa fuit concilii Constantiensis celebrandi, ut patet ex terminis initio decretorum positus.

2º Constat ex testimonio Cardinalis Joannis de Turrecremata, qui concilio præsens aderat, in *Summa de Ecclesia*, c. 99: «Manifeste patet, inquit, quod decretum illorum Patrum non loquitur universaliter de qualibet synodo, sed de illa singulariter, pro ejus tempore non erat in Ecclesia pastor totius Ecclesiæ indubitatus.»

3º Ipsum concilium Cardinalibus contententibus Ecclesiam Romanam esse omnium aliarum Ecclesiarum et ipsius concilii caput, sic respondet. «Nota super verbo *caput*, hoc concedatur tamen, non ad fovendum schisma aut difformitates. Item nota super verbo *concilii*, est subdistinguendum; quia hoc est verum in aliquo concilio, maxime cum agitur ad elidendum aliquem errorem contra catholicam fidem, seu hæresim extirpandam; ubi autem agitur de schismate tollendo in Romana Ecclesia, quod per Cardinales ortum habuit, aut quia Cardinales alias abusi sunt electione, et in similibus, ibi non habet locum.» Ita referunt acta concilii apud Vanderhat, tom. II, part. 13, pag. 287. Ex quibus luce clarius patet, concilium decreta sua intellexisse de præsentis et simili casu schismatis et dubii Pontificis tantum, non de quibuscumque conciliis generalibus.

4º Martinus V, canonicè electus et certus Pontifex, se concilio superiorem probavit: 1º Quia statim solus definiuit, cum clausula «sacro approbante concilio.» 2º Dissolvit, quando voluit, concilium. Et quamvis quidam ægre ferrent quod dissolveretur non facta reformatione, nullus tamen ausus est reclamare. 3º Bulla *Inter cunctas*, data in concilio, jubet interrogari suspectos in erroribus Wiclefi: «Utrum credat quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.» Porro, si sit suprema, nulla datur major.

Secunda responsio. Esto decreta sessionis 4 et 5 sint

intelligenda de certo Pontifice et de conciliis celebratis etiam extra casum schismatis, *respondetur* tunc concilium Constantiense non fuisse œcumenicum, quia episcopi unius tantum obedientiæ, scilicet Joannis XXIII, tunc aderant, nec inter se conveniebant quoad præfata decreta. Ita refert Cardinalis de Turrecremata, qui concilio aderat, in *Summa de Ecclesia*, lib. II, cap. 99: « Nullus, inquit, dubitat quod asserere quod sola obedientia Joannis faceret concilium universale, universalem repræsentans Ecclesiam, esset temerarium et scandalosum aliis obedientiis. » Et infra: « In illa determinatione non modo non intervenit universalis Ecclesia, sed obedientia una tantum, scilicet Joannis XXIII, ut dictum; sed etiam non integre tota illa obedientia, quoniam plures Patres doctissimi illius obedientiæ illi non præstiterunt consensum suum. » Hæc Joannes de Turrecremata, Cardinalis piissimus, idemque doctissimus, et, ut ipse scripsit, testis oculatus, cui fidem denegare, summæ impudentiæ sit, inquit noster Serry.

Inferunt. Ergo mentiti sunt Patres Constantienses, dum dixerunt in his duabus sessionibus: « Hæc sancta synodus, concilium generale faciens, etc. »

Resp. Negó illationem. Non enim quicumque dicit falsum, mentitur: nec mirum, si tunc bona fide erraverint Patres, non enim erant infallibiles, nondum congregato concilio universali.

Urgent: Ipse Martinus V agnovit concilium generale esse in primis sessionibus, ante unionem obedientiarum, siquidem in litteris apostolicis quæ exstant inter acta ultimæ sessionis dicat quod « condemnationes errorum et hæresum Joannis Wielef, et Joannis Hus, et Hieronymi de Praga, factæ de personis et libris eorum per sacrum generale Constantiense concilium, fuerint juste et rite factæ. » Item in alio interrogatorio, ibidem, dicit « credendum esse et approbandum quod in favorem fidei et salutem animarum concilium Constantiense, universalem Ecclesiam repræsentans, approbavit et approbat, condemnavit et condemnat. » Sunt autem factæ istæ condem-

nationes sess. 8, quando sola adhuc obedientia Joannis aderat. Ergo.

Resp. cum Cajetano, Opusc. de *Potestate Papæ et concilii*, cap. 8, quod congregatio Constantiensis inchoavit primo in obedientia Joannis XXIII, et deinde iterum in conjunctione Gregorii XII, et tertio in conjunctione obedientiæ Benedicti XIII consummata est, et post electionem Martini V, in eodem concilio præsentis, authorisata, et ab hoc nobiliori et certiori statu nuncupative in quolibet statu concilium generale vocatur a Papa, nominibus utendo ut plures, absque veritatis offensa. Imo, ut insinaret Pontifex quod ab hoc ultimo statu concilium appellabat generale, præfato interrogatorio fidei præterito conjunxit præsens, dicens quod « concilium approbavit et approbat, condemnavit et condemnat. »

Huic secundæ responsioni, si non stet prima, etiam favent quæ diximus pro prima, numero 3 et 4.

Tertia responsio. Dato gratis hæc decreta intelligenda esse de quocumque concilio generali, etiam extra casum schismatis et dubii Pontificis, atque a concilio vere œcumenico fuisse prolata, restat ea non fuisse probata et confirmata a Martino V: quippe qui in ultima sessione probavit et confirmavit dumtaxat « conciliariter acta et definita in materiis fidei; non aliter, nec alio modo. »

Porro hæc decreta neque « conciliariter, » neque « in materia fidei » fuerunt prolata. Non « conciliariter, » non solum quia tunc concilium non erat œcumenicum, ut dictum est, sed quia non fuerunt edita more aliorum conciliorum, discussis prius maturo examine tanti momenti quæstionibus. Fuerunt enim facta occasione recessus Joannis XXIII a concilio; recessit autem 21 martii vesperi, et statim conclusum fuit decretum contra ipsum, atque 30 ejusdem mensis a quatuor nationibus, contradicentibus Cardinalibus, fuit pronuntiatum.

Non « in materia fidei; » nam in sessione 3 hæc leguntur: « Surrexit de mandato totius sanctæ synodi, Reverendus Pater Dominus Andreas, electus Poznaniensis, et

certa capitula per modum CONSTITUTIONUM SYNODALIU, prius per singulas quatuor nationes conclusa et deliberata, legit et publicavit. Quarum tenores sequuntur et sunt tales. » Inter has autem constitutiones synodales primo et secundo loco recensentur decreta de quibus hic agitur. Lectis autem his et aliis constitutionibus synodalibus, subjungitur :

« Quibus peractis, supra dictus Reverendus Pater Dominus Andreas, electus Poznaniensis, IN MATERIA FIDEI et supra materia Joannis Hus legebat quædam avisamenta, quæ sequuntur et sunt talia. » Palam est concilium distinguere inter constitutiones synodales et materiam fidei, reponere decreta de quibus agitur inter constitutiones synodales, et excludere a materia fidei; consequenter Martinum V, qui decreta hujus concilii tantum confirmavit « in materia fidei, non aliter, nec alio modo, » præfata decreta, de quibus est quæstio, non confirmasse.

Item hæc decreta non fuerunt lata sicut ferri solent decreta fidei, sub pœna anathematis aut hæresis, sed tantum sub pœna pœnitentiæ aut punitionis contra transgressores contumaces, nisi respuerint. Ergo idem quod prius.

Confirmantur huc usque dicta in tribus responsionibus. Si laudata decreta essent decreta fidei a concilio vere œcumenico sancita pro quocumque concilio et Pontifice, etiam extra casum schismatis et dubii Pontificis, atque a Martino V probata et confirmata; nullus catholicus cujuscumque status, conditionis, aut dignitatis, etiamsi Papalis, ausus esset illis contradicere absque hæreseos labe. Atqui, non solum Martinus ipse in concilio illis contradixit, ut vidimus, sed paulo post concilium plures theologi eruditione et sanctitate insignes contrarium docuerunt. Inter eos Turrecremata, in *Summa de Ecclesia*; Ferrariensis, in lib. IV *Cont. gentes*, cap. 75; S. Antoninus, in *Summa*, part. 3, tit. 23, c. 3, § 3, ubi dicit: « Sed nec ad concilium generale a Papa appellari potest, quia Papa omni concilio superior est. Nec robur habet quidquid agitur, nisi autho-

ritate Romani Pontificis roboretur et confirmetur. Sentire ergo quod ad concilium a Papa appellari possit, est hæreticum. » Sequentes Pontifices Pius II et Julius II prohibuerunt sub pœna excommunicationis appellare a Papa ad concilium. Idem quotannis solemniter sub eadem pœna prohibetur in publicatione bullæ Cœnæ, a Gregorio XIII innovatæ. Omnes ferme theologi omnium aliarum nationum, excepta Gallia, cujuscumque status, conditionis et dignitatis, palam contrarium docent, et quidam tamquam de fide. Concludamus ergo laudata decreta non esse decreta fidei, ab omnibus certo et pro omni casu tenenda, vel quia spectant tantum casum schismatis et dubii Pontificis, vel quia non sunt a concilio vere œcumenico edita, vel denique quia non sunt confirmata a summo Pontifice.

Et ita censuerunt ipsimet præcipui horum decretorum defensores. Gerson, in tract. *Quomodo et an liceat*, postquam multa dixit pro superioritate concilii supra Pontificem, sic concludit: « Hæc autem dicta vel argumentata sunt magis ad veritatis inquisitionem, quam ad alicujus (præsertim sanctissimi Domini Martini Papæ) reprehensionem. » Siene locutus fuisset Gerson, si decreta Constantiensia pro fidei decretis ab omnibus in omni casu certo tenendis habuisset? Inquiriturne veritas, quando certo habetur? Cardinalis Petrus de Alliaco, Gersonis magister, alter Pontificiæ dignitatis infra concilium depressor, Gersone tamen moderatior, in tractatu *de Potestate Ecclesiastica*, quem post sessionem 5 composuit, anno 1417, juxta novam editionem operum Gersonis, tom. II, pag. 926, et qui lectus fuit in concilio prima octobris ejusdem anni, post multa dicta et allegata pro autoritate concilii supra Pontificem, sic concludit: « Hæc igitur ad decem capitula in prologo hujus operis proposita, mihi pro responsione videntur sufficere. Quæ tamen non definitive determinando, sed doctrinaliter suadendo, posita sunt. Nam hujus rei definitionem sacri concilii determinationi submitto. » Censebat ergo nondum latam ultimam hæc de re definitionem a concilio.

Instant: Concilium Basileense, sess. 2, decretum Cons-

tantissime innovavit et confirmavit, certo et indubitato Pontifice existente; idque Eugenius IV approbavit et confirmavit bulla *Dudum* lecta sess. 16 ejusdem concilii Basileensis, in qua etiam revocat alias bullas a se ulterius datas contra idem concilium. Ergo.

Resp. Eugenium IV nunquam probasse hoc decretum sessionis 2 concilii Basileensis. Equidem, metu schismatis imminentis, ex eo quod concilium Basilea Ferrariam, renitentibus Patribus Basileensibus, transtulisset, et omnibus principibus instantibus ut hanc translationem revocaret, annuit continuationi concilii Basileæ, revocavitque bullas quibus ejus translationem et dissolutionem præceperat, atque declaravit se intendere concilium omni favore prosecui. Hæc et nihil amplius Eugenius in dicta bulla *Dudum*. Ex eo autem quod concilium legitimum agnovit, ejus continuationem permiserit, et illud omni favore prosecui intenderit, non sequitur quod omnia ejus decreta probaverit et confirmaverit. Martinus V concilium Constantiense legitimum agnovit, omni favore illud prosecutus est, nec tamen omnia ejus decreta confirmavit, sed ea solum quæ in materia fidei conciliariter essent facta, nec aliter, nec alio modo, ut vidimus. S. Leo concilium Chalcedonense legitimum agnovit, et ipsum omni favore pariter prosecutus est, nec tamen omnia ejus decreta approbavit, ut constat ex supra dictis. Idem de Eugenio IV, respectu concilii Basileensis. Id testatur Turrecremata citatus, scribens se audivisse Eugenium Florentiæ in disputatione publica dicentem: « Nos quidem bene progressum concilii approbavimus volentes, non tamen approbavimus ejus decreta. » Id etiam indicat ipse Eugenius, scribens Episcopo Leodiensi et Bononiensi, aliisque per Germaniam legatis, apud Raynaldum, ad annum 1446, n. 3, et in bulla *Moyse vir Dei*, data in concilio Florent., et refertur inter ejus acta, part. 3, pag. 1186. Unde Nicolaus V, qui Eugenio successit, et quocum Basileenses, qui Lausanam concilium transtulerant, inierunt pacem, ex omnibus decretis concilii Basileensis approbavit tantum quæ gesta erant circa censuras et causas beneficiales.

Urgent: Qui decreta synodi scit, nec improbat, et edita bulla synodo adhæret, censetur illa decreta approbare, præsertim si ipsa decreta prius ab ipso damnata, ipso quoque auctore convalescunt. Ergo.

Resp. Dist. ant. Qui decreta synodi scit, nec improbat, censetur illa probare, si tempus congruat et obligatio urgeat approbandi vel improbandi, *transeat*; secus, *nego*. Non congruebat autem tempus, instante schismate, ex obstinatione Basileensium, ut circa hæc decreta mentem suam aperiret summus Pontifex; nec urgebat tunc obligatio approbandi vel improbandi, cum non soleant Pontifices, nisi absoluto concilio, decreta approbare vel infirmare. Neque per revocationem priorum bullarum sic convaluerunt decreta prius damnata, quasi essent approbata, sed ad eum statum revocata sunt, in quo erant ante damnationem.

Obj. 2º: Sæpe, præsertim in Gallia, appellatum est a summo Pontifice ad concilium generale: anno 1302, a bullis Bonifacii VIII; anno 1491, a bulla Innocentii VIII, occasione decimarum extraordinariorum; anno 1517, a concordato Leonis X cum Francisco I, propter abrogationem Pragmaticæ Sanctionis; anno 1682, a decretis Innocentii XI, in causa Regaliæ. Atqui appellatio non fit nisi ab inferiori ad superiorem. Ergo.

Resp. Nego conseq. 1º Quia ex facto jus nec probatur, nec acquiritur, præsertim si sint jura positiva facto contraria, ut hic contingit et patet ex probationibus conclusionis. 2º Quia istæ appellationes non sunt factæ ad concilium generale, excluso Pontifice, sed ad concilium quod Pontifex convocaret, et cui præset per se vel per suos legatos; sicque non tam sunt appellationes, quam novæ ejusdem causæ cognitiones coram eodem iudice, aliis tantum iudicibus Pontifici subordinatis assidentibus. Insuper appellatio a concordato non erat proprie appellatio ad concilium generale, sed ad ipsum Pontificem et plenius concilium; quia Galli non reputabant concilium Lateranense generale. Similiter non habebant Bonifacium VIII pro legitimo Pontifice, ideoque existimarunt

sibi licitum ab illo appellare. In aliis regnis gravamini occurritur ordinarie per supplicationes, repræsentationes, legatos, sicque plerumque res pacifice componuntur.

Obj. 3^o ab inconvenientibus. Non est credibile Deum destituisse Ecclesiam omni remedio in extremis. Atqui id contingeret, si Pontifex non subjiçatur concilio: 1^o si Pontifex esset noxius Ecclesiæ, eamque vellet subvertere; 2^o si sit captivus; 3^o si sit amens. In his enim casibus nullum videtur remedium, nisi in concilio quod possit Papam deponere. Ergo.

Resp. Nego min. Ad primum casum. Si nitatur subvertere Ecclesiam in fide, cum tunc sit manifeste hæreticus, hoc ipso excidit a pontificatu, et requiritur tantum declaratio Ecclesiæ, ut denegetur ipsi obedientia, sicut diximus antea. Si autem aliter sit noxius Ecclesiæ, quidam respondent, fideles posse vi armorum illi resistere, absque eo quod ideo amittat superioritatem. Sic, dum injuste invasus a suo superiore, illi resistit, invadens non amittit ideo superioritatem. Sic iterum, si rex Galliæ, qui nullum agnoscit superiorem in temporalibus, vellet regnum subvertere, possent populi vi armorum illi resistere; nec tamen ideo amitteret dignitatem regiam. Respondet S. Thomas¹, «*recurrendum esse ad Deum, qui eum emendet, vel de medio subtrahat; »* vel dicendum quod, cum Deus speciali providentia regat et conservet suam Ecclesiam, non permittet, sicut huc usque non permisit, hunc casum evenire, aut si permittat, non deerit in subministrandis mediis et auxiliis opportunis.

Ad secundum casum Pontificis captivi. Fient ab Ecclesia ad Deum preces, sicut fiebant pro Petro, dum detinebatur captivus ab Herode; nec interim desinet esse Pontifex, aut poterit deponi a concilio, sicut rex Galliæ captivus non desinit ideo esse rex, nec deponi potest a populis.

Ad tertium casum. Si Pontifex sit perpetuo amens, censetur mortuus: est enim amens revera mortuus quan-

1. *In IV Sentent.*, dist. 19, q. 2, a. 2, quæstiunc. 3, ad 2.

tum ad vitam rationalem, sicque Ecclesia sibi providere poterit de alio Pontifice. Interea vero in hoc et præcedenti casu non desinet Ecclesia, sed servabit infallibilitatem fidei passivam. Quod si occurrant controversiæ de fide vel moribus, poterunt episcopi vel concilium definire; sed definitio non habebit ultimam et absolutam firmitatem, donec confirmetur a Pontifice sequente, ut jam diximus et dicemus.

ARTICULUS VII

Utrum Pontifici Romano competat summa potestas temporalis?

[Triplex de hac quæstione prodiit sententia.

Prima est, summum Pontificem jure divino habere plenissimam potestatem in universum orbem terrarum, in rebus tum ecclesiasticis tum politicis. Quin etiam Ostiensis ulterius progreditur. Docet enim, per Christi adventum omne dominium principum infidelium translatum fuisse ad Ecclesiam, et residere in summo Pontifice, ut Vicario summi et veri Regis Christi; et ideo posse Pontificem regna infidelium jure suo donare quibus voluerit fidelium.

Altera, quam Bellarminus¹ vocat non tam sententiam quam hæresim, in altero extremo ponitur. Docet Pontificem ut Pontificem et jure divino nullam habere temporalem potestatem, nec posse ullo modo imperare principibus sæcularibus, nedum eos regnis et principatu privare, etiamsi illi privari alioqui mereantur. Hanc sententiam professi sunt, quantum ad temporalia, authores *Declarationis Cleri Gallicani* anni 1682.

Tertia sententia in medio posita, et catholicorum theologorum communis, tenet Pontificem ut Pontificem non

1. *De summo Pontifice*, lib. V, cap. 1. Utilissime legetur hæc dissertatio.